

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.




AROLUS Sextus Divinâ fa-
vente Clementiâ Electus Romanorum
Imperator semper Augustus, ac Germaniæ,
Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ,
Croatiaæ, Sclavoniaæ &c. Rex, Archi - Dux
Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ,
Carnioliaæ, & Würtenbergæ, Comes Tyrolis.

Agnoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis. Quòd cum no-
bis Nostræ Sacrique Romani Imperii fideles dilecti Pharmacopæi Civitatis hu-
jus Nostræ Viennæ summè exposuerint, ob multas, medicamenta tam com-
posita, quam Chymica parandi, varietates, quibus mens, & praxis Medici,
non nisi confundi, & in dubitandi periculum, errorémque abduci potuisset, jam
dudum se sollicitos fuisse, ut certa, stabilis, rataque statueretur regula, ad
quam se omnis parandorum medicaminum ratio conformare possit, huncque
in finem opus quoddam Pharmacologicum ab ipsis longo tempore, & indu-
stria congestum sub Titulo: *DISPENSATORIUM PHARMACEUTICUM
VIENNENSE*, annexa cum Taxa, secundis denuò typis evulgare constituisse:
Vereri autem, nè Æmulorum invidiâ hanc Editionem imitantum, laboris,
& impendii sui fructu destituantur, eaque propter supplices rogâsse, ut non
tantum hac in parte suæ indemnitati Privilegiô Nostrô Cæsareô consulere, sed
dictum quoque Dispensatorium Pharmaceuticum ab omnibus in Terris Nostris
Cæsareo-Austriacis Pharmacopæis aliisque in arte Peritis pro norma & regula
absolutè respiciendum, habendūmque decernere clementissimè dignaremur;
Nos submissis pariter ac æquis prædictorum Pharmacopæorum precibus beni-
gnè annuentes, eisdem memoratum Opus, ex quo à Facultate Medica Vien-
nensi perlustratum, & approbatum, atque à Nobis aliâs jam facultate impri-
mendi, ac divendendi munitum, nec non & pro norma parandi Medicamenta
ab omnibus Pharmacopæis deinceps observandum, habendūmque decretum
fuerat, petitum Privilegium Nostrum Cæsareum ad Viginti Annos clementer,
impertiti fuerimus; Ac proinde Authoritate Nostra Cæsarea omnibus & singu-
lis Bibliopolis, Bibliopæis, Typographis, & aliis quibuscunque rem librariam seu
negotiationem exercentibus firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, nè quis
suprannominatum Dispensatorium Pharmaceuticum Viennense sub hoc vel simili,
aut alio quopiam typo, charactere, vel forma, sive in toto, sive in parte, mu-
tatóve titulo, vel in aliam linguam translatum, per viginti annorum spatiū
ab hodierno die computandum intrâ Sacri Romani Imperii, Regnorumque,
& Do-

& Dominiorum Nostrorum hæreditariorum fines recudere, vel aliis recuden-
dum dare, aliorsumve impressum apportare, vendere, vel distrahere, citra
præfatorum supplicantium ac successorum voluntatem, & assensum inscriptis
obtentum ausit, vel præsumat, si quis verò secùs faciendo Privilegium hoc No-
strum seu Interdictum violare, contemneréque præsumperit, eum non solùm
ejusmodi Exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperam quippe recusis,
seu approbatis (quæ dicti Pharmacopæi Viennenses sive propriâ authoritate,
sive Magistratûs illius loci auxiliô sibi vindicare poterint) defactò privandum,
sed & quinque marcarum auri puri poena Ærario seu Fisco Nostro Cæsareo,
& Parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublatâ multandum decerni-
mus, dummodo tenor hujus Nostri Privilegii in fronte libri impressus reperi-
atur, & consveta quinque Exemplaria Arcanæ Nostræ Cancellariæ Imperiali
Aulicæ exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis nostris, & Sacri
Imperii Regnorūmque & Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum subditis,
& fidelibus dilectis tam Ecclesiasticis, quam sacerdotalibus, cujuscunque statûs,
gradûs, dignitatis, aut Ordinis fuerint, præsertim verò iis, qui in Magistratu
existentes, vel suo, vel superiorum suorum loco ejus, justitiāmque administrant,
nè quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum violare, spernere, aut trans-
gredi patientur: Sed si quos contumaces compererint constitutâ à Nobis mul-
tâ eos puniri, & quibuscumque modis idoneis coerceri curent, quatenus &
ipsi gravissimam Nostram indignationem & prædictam poenam evitare voluerint.
Harum testimoniô litterarum Manu Nostrâ subscriptarum, & sigilli Nostri Cæ-
farei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Vienna die deci-
mâ octavâ Martii Annô Millesimô septingentesimô trigesimô septimô, Regno-
rum Nostrorum Romani vigesimô sextô, Hispanicorum trigesimô quartô, Hun-
garici, & Bohemici pariter vigesimô sextô.

Carolus.



Vt. Jo. Ad. Comes de Metsch.

Ad Mandatum Sacrae Cæsareæ
Majest. proprium.

M. H. de Ley.